



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs
Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

Missæ falsa interpretatio per sectarios. tit. 116

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

ipius sanctis, qui hoc nec cupiunt, nec indigent. At solum memoriam illorum cogitantes, quantum ipsi per fidem vicerunt regna, Heb. ii. & ut nobis quoque concedatur gratia, rogamus eorum patrocinium.

Non autem una est memoria passionis Christi & sanctorum. Christi memoria agimus, veluti qui suo sanguine nos redemit, cuius virtute saluamur, qui est propitiatio in sanguine suo, Roman 3. At sanctorum memoria agitur in Missa, veluti testium, qui & hoc, quod credimus de Christo, sanguine testati sunt. Non autem eorum sanguinis fusio nos redemit, sed Christi filii, &c. Non igitur ipsis, sed Deo Missam agimus. Sic omnia alia in Missa propter Christi victimam nobis concedi permisus, &c.

MISSAE FALSA INTERPRE-
tatio per sectarios.

TITVLVS CXVI.

TRIA sunt, quae sectarij opponunt contra Missam. Primum, quia sit nouum & singulare sacrificium, quo mereamur remissionem, contra sacrificium crucis. Secundo, quod in illa sancti adorantur & inuocantur in blasphemiam Christi.

Tertio, quod res ludicra agitur cum vestimentis, ceremonijs, quando Christus sine omni vestitu simpliciter celebrauit. Ideo Missa est blasphemia Christi, & grauius peccatum, quam violare virgines.

Primo mendacium est, quod Missa sit nouum vel distinctum aut singulare sacrificium, quo mereamur remissionem & salutem, sed est solum memoria istius sacrificii, quod non meretur remissionem, sed oratio, petitio est, ut nobis condonetur remissio peccatorum propter actum crucis, Ioā. primo. Agnus Dei, &c. Hoc sacrificium crucis unicum est propitiatorium,

rium. Missa est gratiarū actionis & laudis sacrificium non pœnale vel sanguinolētum. Canon ergo Missa id est, Ecclesiastica forma & regula celebrandi, omnino natus est propter vniiformitatem, quam hæretici habent, sed tot formulas, quot ciuitates. At iubet Paulus 1. Cor. 14. Omnia fiant honestē & secundum ordinem ipsa vobis. Subinde Canon oratio est, non, vt sicut Deus in minoribus sacrificijs munera Abel. Gen. 4. sacrificium Melchisedech & Abraham. triarchæ, Gene. 14. acceptauit & eorum deuotionem & illorum orationem, ita multò amplius nunc nostram deuotionem & orationem acceptare dignetur. Nō rogamus, vt placeat patri filius, quæ scimus alio, qui semper Deo placere: Nec vocamus panem & vinum ante cōsecrationem sacrificia, ex quibus habemus remissionem peccatorum, sed secundum id, quod iam futura sunt, id est, corpus & sanguis Christi, propter eūdem petimus remissionem. sic Gen. 25. v. cantur dux gentes in utero Rebeccæ, &c. non quod iam tales fuissent, sed futuræ essent.

Secundò, mendacium est, quia sanctos adoramus in Missa. Nemo adorandus est nisi Deus. Matt. 4. Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Sed solum memoriam sanctorum agimus, rogantes, vt sicut Deus per meritum passionis & sacrificij Christi illos saluavit, & nos sic saluet. Subinde, vt ipsi quoque pro nobis orient, vt Deus haec nobis distribuat propter Christum. Postremò & nos pro fratribus nostris & commembbris corpore mortuis, sed spiritu viventibus oramus in Missa, vt propter effusum sanguinem Christi liberentur à pœnis, iuxta id 2. Macha. 12. Sancta & salubris &cæt. Sic scimus morte naturali non dissolui charitatem, quæ nunquam excidit &c. Nihil ergo derogatur Christo, 1. Cor. 13.

Tertiò, optimè nouit Ecclesia catholica, quod ceremoniae & vestes Missæ, nō sunt de essentia Missæ, id est,

TITVLVS CXVII. 301

¶, non consecrant sacramentum : sed quoniam in
Missa est memoria passionis Christi, scilicet, quomo-
do tractatus est, id est, ligatus in horto, id significat
stola, manipulus, veltis alba Herodis Præterea Pilati
casula, &c. ob maiorem deuotionem & reuerentiam
emittandam, hec fiunt. Derisit olim Michol Dauid,
2 Reg 6. Ideo mansit sterilis &c. Non ergo superua-
canea sunt.

EUCHARISTIA QUID SIT,
¶ cur instituta à Christo.

TITVLVS CXVII.

VCharistiae sacramentum est verum &
vium & non amplius mortale corpus
& sanguis Christi, adunitum cum diui-
nitate, sub specie panis & vini.

Primo, immortale corpus, Roman. 6. Amplius non
moritur. Ideo Apostolis dedit Christus mortale cor-
pus in cena antequam fuit mortuus. At nos iam ta-
le corpus Christi accipimus, quale post resurrectione
habet glorificatum, & ad dextram patris sedens.

Secundo, verum corpus : non enim est hic figura
rel signum corporis & sanguinis Christi, sed inquit
March 26. Hoc est corpus meum, &c. Non dicit, est si-
gnum vel dimidiū panis, & dimidium corporis, sed,
Hoc est corpus meum &c.

Tertio, viuum corpus, sicut iam Christus corpo-
re & sanguine verè viuit ad dextram patris, Marc. xl.
Ideo sicut sanguis iam à corpore in cœlo non
potest separari, sic est in sacramento. Ideo sanguis
cum corpore coniunctim & simul accipitur à com-
municante : ideo dicitur corpus. Nam sanguis dum
est separatus à corpore, corpus non dicitur corpus,
sed cadaver. At vocat Paulus 1. Corinth. ii. corpus
Domini, &cæt,

Vu . Quartò,